



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Paulus II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANNO
1465.I.
Ex histor.
univers. Pa-
risiens. Bul-
Tom. I. pag.
674.Privilegia aliarum Universitatum concedit Uni-
versitati Bituricensi: anno 1465.

PAULUS EPISCOPUS,

Ad perpetuam rei memoriam.

ET si à summo rerum omnium conditore cu-
jus inestimabili providentia cuncta miro or-
dine disponuntur, & à quo omnium charitima-
tum dona proveniunt ad exequendum Pontifi-
calis ministerii debitum, licet insufficientes
meritis deputati, de his, quæ ad fidei catholi-
cæ fideliumque profectum conferunt, sedulo
nos cogitare conveniat, de litterarum tamen
studiis, & virorum (qui incomparabilis thesauri
divinarum, & humanarum rerum cogitationem
apprehendere cupiunt) incrementis felicibus, & eo
magis cogitare nos convenit, quo ex his propul-
sis ignorantia nubibus Domini nostri, &
ejusdem Fidei cultus prævidetur, justitia colit-
tur, publica quoque, & privata res utiliter
geritur, & omnis humanæ conditionis prospere-
ritas adaugetur. Decet igitur Pastoralem sollici-
tudinem non immerito adhibere, ut hujusmodi
studia vigeant, & continuo augeantur, per
quæ, sicut experientia rectè comperimus uni-
versali Ecclesiæ, cunctisque credentibus major
potest utilis provenire. Cum itaque sicut nu-
per pro parte charissimi in Christo Filii nostri
Ludovici Regis Francorum illustris, & dilecti
filii nobilis viri Caroli Ducis Bituricensis ipsius
Regis Germani nobis fuit expositum, ipsi ejus-
dem Reipublicæ utilitati, & præsertim Ducatus
Bituricensis, ac etiam Regis Franciæ Incolarum,
nec non aliarum partium vicinarum habitatio-
nem, qui scientiæ margaritam adipisci deside-
rant laudabiliter intendentes, ut Civitate Bitu-
ricensi, quæ inter alias Ducatus Aquitanicæ Civitates
primatum obtinet, tanquam in loco magis in-
signi, & accommodo, liberalium artium gene-
rale studium in qualibet licita facultate, ut ibi-
dem fides ipsa dilatetur, & erudiantur indocti,
serveatur æquitas Judicis, vigeat ratio, illuminen-
tur mentes simplicium; & eorum, ac quorum-
libet intellectus, opitulante Altissimo, illustren-
tur, erigi, & stabiliri desiderant; nos prævisa
omnia, ac etiam eximiam fidei, devotionisque
constantiam, quam ipsi Rex, & Dux ad nos,
& Romanam gentem, & Ecclesiam attenta me-
ditatione pensantes, ac etiam cupientes, quod
civitas ipsa scientiarum muneribus decoretur,
virosque producat consilii maturitate conspicuos,
virtutum redimitos ornatus, & diversarum fa-
cultatum scientiis eruditos, de quorum plenitu-
dine hauriant universi alii litterarum documentis
imbui appetentes, eisque præmissis omnibus, &
præcipue dictæ civitatis, quæ ad multiplicanda
sanæ doctrinæ germina magis congrua, & ac-
commoda fore perhibetur, idoneitate attenta in-
terna meditatione pensatis, non solum ad ipsius
civitatis, sed etiam Regni Ducatus, ac Regio-
num circajacentium profectum paternis affecti-
bus anhelantes, Regis, & Ducis prædictorum in
hac parte supplicationibus inclinati, ad laudem
divini nominis, & propaginem fidei ante dictæ,
ipsorum quoque Regis, & Ducis gloriam pariter,
& honorem, auctoritate Apostolica tenore præ-
sentium statuimus, & ordinamus, ut de cætero
in eadem civitate Bituricensi generale studium
per præsentem erigimus, quod instar aliorum stu-
diorum generalium tam in Theologia, & Jure
Canonico, atque Civili Medicina quoque, & ar-
tibus, quàm alia qualibet licita facultate vigeat,
quodque Doctores, Magistri, Legentes, ac etiam
Scholares studentes ibidem omnibus privilegiis,
libertatibus, & immunitatibus tam Magistris in

eadem Theologia, ac Doctoratibus, Legentibus,
& studentibus in Parisiensi, Tholosensi, Pictavi-
ensi, & aliis dicti Regni universitatum studiis
concessis, ac etiam concedendis urantur, & gau-
deant: Cancellarius verò Ecclesiæ Bituricensis
pro tempore existens (qui, ut accepimus, dispo-
nere Scholares dictæ civitatis ab antiquo consue-
vit) similiter Cancellarius Universitatis Studii
Bituricensis existat, possitque auctoritate præsen-
tium illis, qui processu temporis adeo litterarum
studio insudaverunt, & in eo profecerunt, quod
ad hoc idonei reputentur, quique in facultate, in
qua studuerunt, gradum obtinere, ac decendi li-
centiam, & ut alios erudire valeant, Magisterii,
seu Doctoratus honorem sibi concedi petierint,
& per Doctores, seu Magistros ejusdem facultatis,
in qua examinatio eorum facienda fuerit, sibi
vel ejus vicegerenti (qui Doctor, aut saltem Li-
centiatus, & ipsius Ecclesiæ Canonicus sit), aut
si Cancellaria ejusdem Ecclesiæ litigiosa fuerit,
vicegerenti per ejusdem universitatis Bituricensis
Magistros, & Doctores deputato præsentem, con-
vocatis tamen aliis Magistris, atque Doctoribus
in eadem facultate post eorum diligentem exa-
minationem, si ad hoc sufficientes, & idonei re-
perti fuerint, licentiam hujusmodi tribuere, ac
etiam Magisterii, & Doctoratus honorem liberè
impertiri, ita tamen, quod idem Cancellarius,
aut vicegerens personis idoneis præsentatis, &
examinatis debitos, ut præfertur, gradus eis con-
tinentes derogare non possit, vel aliquid pro eorum
collatione recipere; & si contrafecerit, sen-
tentiam excommunicationis incurrat. Exami-
nati verò, ut præmittitur, approbati, postquam,
in eadem civitate Bituricensi docendi licentiam,
atque honorem hujusmodi obtinuerint, & tunc
absque examine, sive approbatione alia legendi,
& docendi tam in prædicto ipsius civitatis, quàm
in singulis aliis generalibus studiis, in quibus vo-
luerint legere, & docere statuti, & consuetudi-
nibus quibuscumque contrariis Apostolica, vel
quasi alia firmitate vallatis nequaquam obstanti-
bus plenam, & liberam habeant facultatem, &
insuper quod Doctores, Magistri, & Scholares Uni-
versitatis ejusdem, dummodò regulares non sint,
Leges publicè in Scholis legere, & audire, ac in
eis gradus recipere possint, nullusque nisi Doctor,
aut Magister, seu Licentiatus in eadem civitate;
in Medicina praticare debeat, nisi à Professoribus
facultatis obtentâ licentiâ, & per eos pro idoneo
fuerit approbatus. Ipsique Doctores, Magistri, &
Studentes litterarum studio, in eadem Universita-
te pro tempore commorantes fructus redditus, &
proventus omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum,
quæ pro tempore obtinuerint, quotidianis
tamen distributionibus duntaxat exceptis cum eâ
integritate, per septennium duntaxat percipere va-
leant, cum qua illos perciperent si in Ecclesiis, &
locis, in quibus beneficia hujusmodi forsan fue-
rint, personaliter residerent.

Hæc ad residendum interim in eisdem compelli
possint inviti, dictoque septennio durante, ratione
beneficiorum, eorundem se ad Presbyteratus ordi-
nem promoveri facere minime teneantur, dum-
modo infra annum ad Subdiaconatus ordinem
sint promoti. Præterea Doctoribus, Magistris,
Scholaribus, & Studentibus ante dictis, ut extra
muros dictæ Civitatis Bituricensis aliqua quavis
auctoritate ad Judicium evocari, trahi, aut con-
veniri nequeant, auctoritate præfata tenore præ-
sentium indulgemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-
nam nostri statuti, ordinationis, & concessio-
nis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, in-
dignationem omnipotentis Dei, & Beatorum

ANNO
1465.

A N N O
1467.

Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Incarnationis Dominicæ 1464. pridie Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

II,
Ex Oper.
Diplom. Mir.
rei Tom. 2.
pag. 1038.

Parochialem Ecclesiam S. Gaugerici Valencenensis uniti Capitulo B. Mariæ ad Aulam Comitum (nunc in Ecclesia S. Gaugerici residenti) cum jure constituendi Vicarium amovibilem: anno 1467.

PAULUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, dilecto Filio Decano
Ecclesie Beate Mariæ Condarsensis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Romanum decet Pontificem votis illis gratum præstare assensum, per quæ Ecclesiasticarum personarum commoditatibus valeat salubriter provideri. Dudum siquidem felicitis recordationis Martino Papæ V. Prædecessori nostro pro parte dilectorum filiorum Decani, & Capituli Ecclesie Beate Mariæ ad Aulam Comitum Oppidi Valencenensis, Cameracensis Diocesis exposito, quod fructus, redditus, & proventus mensæ Capitularis dictæ Ecclesie, cujus Dux Brabantie ratione Comitatus Hannoverie Patronus existeret, adeo tenues erant, & exiles, quod singulis ratione mensæ ejusdem imminutibus pro tempore detrahitis oneribus cujuslibet ipsius Ecclesie Canonice Præbendæ, quæ decem & septem numero existerent, fructus, redditus, & proventus, etiam tum quotidianis distributionibus illas obtinentibus, & in dicta Ecclesia divinis interessentibus pro tempore obvenire solitis, ultra triginta quinque Libras Turon. parvorum, secundum communem æstimationem non valebant annuatim, de quibus Decanus ipse, ac singulares ex hujusmodi Capitulo personæ dictas Præbendas obtinentes, prout eos contingebant pro tempore, sustentari, eisque incumbentia onera supportare nequibant concedentes.

Et in eadem expositione subjuncto, quod si Parochialis Ecclesia Sancti Gaugerici dicti Oppidi, cujus collatio, & provisio ad dictos Decanum, & Capitulum de antiqua, & approbata, ac hæcenus pacifice observata consuetudine pertinere dignoscantur, eidem mensæ perpetuò incorporaretur pariter, & uniretur, ad id etiam cum incremento divini cultus in dicta Ecclesia Beate Mariæ præfatis Decano & Capitulo cederet, multipliciter profuturum. Præfatus Martinus Prædecessor ipsorum Decani, & Capituli asserentium, quod Parochialis Ecclesie centum & sexaginta, ac mensæ hujusmodi mille Librarum similibus, secundum æstimationem prædictam valorem annum fructus, redditus, & proventus non excedebant. in ea parte supplicationibus inclinatus, dilecto filio Decano Ecclesie Cameracensis, ejus proprio nomine non expresso, per suas litteras dedit in mandatis, ut si, vocatis, qui fuissent evocandi, ita esse invenerit, Parochialem Ecclesiam præfatam cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem mensæ auctoritate Apostolica in perpetuum incorporaret, annexerit, & uniret, ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Parochialis Ecclesie, juri, & pertinentiarum prædictorum possessionem auctoritate propria liberè apprehendere, illiusque fructus, redditus, & proventus hujusmodi in suos, ac dictarum mensæ, ac Parochialis Ecclesie usus perpetuò convertere pariter, & retinere, reservata tamen super hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Pa-

A N N O
1467.

rochialis Ecclesie pro perpetuo Vicario in illa pro tempore instituendo portione congrua, de qua idem Vicarius possit commode sustentari, Episcopalia jura solvere, aliaque sibi incumbentia onera supportare prout in iisdem litteris plenius continetur.

Et deinde, sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Decani, & Capituli petitio continebat, quondam Joannes tum Decanus ipsius Ecclesie Cameracensis in humana agens ad ipsarum litterarum executionem procedens, illarum forma servata Parochialem Ecclesiam prædictam eidem mensæ, reservata medietate omnium & singulorum fructuum, proventuum, & emolumentorum in dicta Parochiali Ecclesia provenientium pro ipsius Vicarii sustentatione, & jurium Episcopali, ac aliorum onerum supportatione perpetuo univit, annexuit, & incorporavit. Postmodum verò succedente tempore, cum unio, annexio, & incorporatio hujusmodi fortitè fuissent effectum, ortâ inter ipsos Decanum, & Capitulum, ac perpetuum Vicarium dictæ Parochialis Ecclesie tunc existentem super hujusmodi portione, & illius occasione materia quæstionis, tandem post multos sumptus, & labores, partes ipsæ certum inter se super hujusmodi portione tractatum fecerunt, qui postea per bonæ memoriæ Nicolai titulo sanctæ crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem, tunc in partibus Francie sedis Apostolicæ Legatum, & deinde per sanctæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum extitit confirmatus.

Cum autem eadem petitio subjungebat, si Vicarius ipse ad nutum Decani, & Capituli prædictorum revocabilis foret, profectò quæstionis materia ne ampliùs oriretur omninò sublata esset, quare pro parte dictorum Decani, & Capituli asserentium, quod ipsi ab antiquo tres partes oblationum, & minutarum decimarum in dicta Parochiali Ecclesia, & metis ejus provenientium jure patronatus percipere consueverunt, alia quarta parte Rectori, seu Vicario ejusdem reservata, & quod ipsa Parochialis Ecclesia monocularis eorundem Decani, & Capituli fore censeretur, nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis, quod cedente, vel decedente moderno Vicario dictæ Parochialis Ecclesie possint illam per Vicarium amovibilem de gremio ipsius Ecclesie Beate Mariæ, vel aliunde per eos eligendum, facere gubernari, aliis oneribus dictæ Parochialis Ecclesie illius Rectori pro tempore incumbentibus Decano, & Capitulo hujusmodi reservatis, concedere, aliisque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque de præmissis certam noticiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis Vicario prædicto, & aliis, qui fuerint evocandi, de præmissis nobis expositis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem hujusmodi ita esse repereris, Decano, & Capitulo prædictis, quod cedente, vel decedente moderno dictæ Parochialis Ecclesie Vicario, vel illam alias quomodolibet dimittente, liceat eis dictæ Ecclesie Parochiali per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio dictæ Ecclesie Beate Mariæ, vel aliunde allumendum, & pro eorum nutu removendum deserviti facere, ita tamen, quod ipsi Decanus, & Capitulum eidem Vicario de fructibus Parochialis Ecclesie hujusmodi ad vitæ subsidium necessaria ministrare debeant, & teneantur, singulis aliis oneribus pro tempore in-

cumbentibus

A N N O
1470.

cumbentibus eidem Decano, & Capitulo reservatis, concedere auctoritate nostra procuremus, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque: provisio, quod dicta Parochialis Ecclesia debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera consueta.

Datum Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo, decimo nono Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno quarto.

Alia ejusdem argumenti quò superior data: anno 1470.

PAULUS EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano, & Capitulo Ecclesie Beate Mariæ ad aulam Comitis Vallengensis, Cameracensis Diocesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Exigit vestra devotio, & sinceritatis affectus, quo erga Deum, & Romanam Ecclesiam splendore dignoscimini, ut petitionibus vestris, illis præsertim per qua vestris, & Ecclesie vestre Beate Mariæ ad aulam Comitis Vallengensis Cameracensis Diocesis, necessitatibus providetur, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus.

Dudum siquidem felicis recordationis Martino Papæ Quinto Prædecessori nostro pro parte vestra exposito, quod fructus, redditus, & proventus Mensæ Capitularis dictæ Ecclesie vestre, aded tenues erant, & exiles, quod singulis ratione mensæ ejusdem, imminutibus pro tempore detractis oneribus, cujuslibet Ecclesie ipsius Canonice Præbendæ, quæ decem, & septem numero existebant fructus redditus, & proventus, etiam cum quotidianis distributionibus, illas obtinentibus, & in dicta Ecclesia divinis inservientibus pro tempore obvenire solitis, ultra triginta quinque Libras Turonen. parvorum secundum communem estimationem non valeret annuatim, de quibus Decanus ipse, ac singulares ex hujusmodi Capitulo personæ dictas Præbendas obtinentes, prout contingebat eos pro tempore, sustentari, eisque incumbentia onera supportare nequibant condenter, quodque si Parochialis Ecclesia Sancti Gaugerici etiam Vallengensis, cujus cellatio, & provisio ad vos de antiqua, & approbata, ac hæcenus pacificè observata consuetudine pertinere dignoscantur, eidem Mensæ perpetuò incorporaretur, id etiam cum incremento diurni cultus cederet multipliciter profuturum. Præfatus Martinus Prædecessor vestris in hac parte supplicationibus inclinatus, dilecto filio Decano Ecclesie Cameracensis, ejus proprio nomine non expresso per suas litteras dedit in mandatis, ut si vocatis qui forent evocandi ita esse inveniret, Parochialem Ecclesiam præfatam cum omnibus juribus, & pertinentiis suis eidem mensæ auctoritate Apostolica in perpetuum incorporaret, annecteret, & uniret; ita quod cedente, vel decedente Rectore dictæ Parochialis Ecclesie, qui tunc erat, vel illam alias quemodolibet dimittente, liceret vobis per vos vel alium, seu alios corporalem Parochialis Ecclesie, juriumque, & pertinentiarum prædictorum possessionem auctoritate propria liberè apprehendere, illiusque fructus, redditus, & proventus hujusmodi in vestros, ac dictarum mensæ, & Parochialis Ecclesie usus perpetuò convertere pariter, & retinere, refer-

vata tamen super hujusmodi fructibus, redditibus, & proventibus ipsius Parochialis Ecclesie pro perpetuo Vicario in illa pro tempore instituendo portione congrua, de qua idem Vicarius posset commodè sustentari, Episcopalia Jura solvere, aliaque sibi incumbentia onera supportare.

Et deinde etiam pro parte vestra nobis exposito, quod quondam Joannes tunc Decanus ipsius Ecclesie Cameracensis in humanis agena ad ipsarum litterarum exequutionem procedens, illarum forma servata, Parochialem Ecclesiam prædictam eidem mensæ, reservata medietate omnium, & singulorum fructuum, reddituum, proventuum, & emolumentorum in dicta Parochiali Ecclesia proventurorum pro ipsius Vicarii sustentatione, & jurium Episcopali, ac aliorum onerum supportatione, perpetuò univerat, annexerat, & incorporaverat.

Consequenter verò succedente tempore, cum unio, annexio, & incorporatio hujusmodi fortitè fuissent effectum, orta inter vos, ac perpetuum Vicarium dictæ Parochialis Ecclesie tunc existentem super hujusmodi portione, & illius occasione, materia questionis eandem inter vos, & Vicarium prædictum super hujusmodi portione feceratis tractatum, qui postea per bonæ memoriæ Nicolæum titulo sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyterum Cardinalem tum in partibus Francie sedis Apostolicæ Legatum, & successivè per sanctæ memoriæ Eugenium Papam IV. etiam Prædecessorem nostrum confirmatus extiterat, ac subjuncto, quod si Vicarius ipse ad nutum vestrum revocabilis foret, profectò quæstionis materia omnino esset sublata, & pro parte nostra, qui ut assereratis ab antiquo tres partes oblationum, & minutarum decimarum in dicta Parochiali Ecclesia, & metis ejus provenientium jure patronatus percipere consueveratis, alia quarta parte Rectori, seu Vicario ejusdem reservata, nobis humiliter supplicato, ut vobis, quod cedente, vel decedente tunc Vicario dictæ Parochialis Ecclesie possetis per Vicarium amovibilem de gremio ipsius Ecclesie vestre, vel aliunde per vos eligendum facere gubernari, concedere, aliasque in præmissis opportuè providere dignemur.

Nos qui de præmissis certam notitiam non habebamus, vestris hujusmodi supplicationibus inclinati, Decano Ecclesie Beate Mariæ Condatis dictæ Diocesis, ejus proprio nomine non expresso, per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis Vicario prædicto, & aliis, qui forent evocandi, de præmissis nobis expositis omnibus, & singulis, ac eorum circumstantiis universis, auctoritate nostra se diligenter informaret, & si per informationem hujusmodi ita esse repererit, vobis, quod cedente, vel decedente tunc dictæ Parochialis Ecclesie Vicario, vel illam alias quemodolibet dimittente, liceret vobis dictæ Parochialis Ecclesie per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio Ecclesie vestre prædictæ, vel aliunde assumendum deserviri facere dicta auctoritate concederet, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.

Cum autem sicuti exhibita nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, quondam Thomas de Gauberis ipsius Ecclesie Condatis Decanus tunc in humanis agens, ad ipsarum litterarum nostrarum exequutionem procedens, illarum formam servatam, vobis quod cedente, vel decedente, tunc dictæ Parochialis Ecclesie Vicario, vel illas alias quemodolibet dimittente, liceret vobis dictæ Ecclesie Parochiali per Presbyterum idoneum ad hoc assumendum, & removendum, ut præfertur, deserviri facere, & vos eidem Presbytero de fructibus Parochialis Ecclesie hujusmodi ad subsidium

A N N O
1470.

necessaria

III.
Ex Oper.
Diplom.
Miræi Tom.
II. pag. 1040.

ANN O
1469.

necessaria ministrare deberetis, & teneremini, auctoritate prædicta concesserit, prout in quodam publico instrumento sigillato ipsius Thomæ de Gauberis plenius dicitur contineri: Cum itaque hodie dilectus Filius Guillelmus de Sanctis, nuper ipsius Parochialis Ecclesiæ Vicarius perpetuus, dictam Parochialem Ecclesiam, quam tunc obtinebat per dilectum filium Joannem Courelher Clericum Tornacensis Diocesis Procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus nostris spontè, & liberè resignaverit, nosque resignationem ipsam duxerimus admittendam, nullusque de illa præter nos hac vice disponere poterit, siue possit, pro eo quod nos dudum omnia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, apud sedem Apostolicam tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & dispositioni nostræ reservavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Nos indemnitate ejusdem Ecclesiæ occurrere cupientes, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, volumus, & apostolica auctoritate vobis concedimus, quod singula Apostolicæ litteræ hujusmodi, & processus habitus per easdem, nec non unio, annexio, & incorporatio prædictæ, ac quæcumque inde sequuta à data præsentium valeant, plenamque roboris firmitatem obtineant, ac si in eisdem litteris, quod etiam si Parochialis Ecclesiæ per cessum, vel decessum hujusmodi apud sedem eandem vacaret, expressum, vel concessum extitisset, & insuper ut facilius onera prædicta supportare valeatis, de alicujus subventionis auxilio nobis providere volentes, quod liceat vobis dictæ Parochialis Ecclesiæ, per Presbyterum idoneum ad hoc de gremio Ecclesiæ vestræ hujusmodi, vel aliunde assumendum, ac pro vestro nutu, removendum, deinceps deserviri facere, ita quod vos dicto Presbytero de fructibus Parochialis Ecclesiæ hujusmodi pro vitæ subsidio necessaria ministrare debeatis, & teneamini, singulis aliis oneribus pro tempore eidem Parochiali Ecclesiæ incumbentibus vobis reservatis, auctoritate apostolica, tenore præsentium concedimus pariter, & indulgemus: proviso, quod dicta Parochialis Ecclesiæ debitis propterea non fraudetur obsequiis, & animarum cura nullatenus negligatur, sed illius congruè supportentur onera ante dicta.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, concessionis, & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo septuagesimo, octavo Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno septimo.

IV.
Ex Cod. Diplom. Leibnizii Tom. I.
Pag. 427.

Fœdus initum inter summum Pontificem, & Republicam Venetam 28. Maji 1469.

In Nomine sanctæ & individua Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Gloriosæ Virginis Mariæ, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac B. Marci Evangelistæ, totiusque celestis curiæ triumphantis, Anno à Nativitate Domini MCCCCLXIX. Die vero XXVIII. Mensis Maji Indictione II. Pontificatus sanctissimi Domini nostri, Domini PAULI Divina Providentia sacro sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summi Pontificis anno V. &c.

PRimo ipse Reverendissimus Dominus S. Marci, nomine sanctissimi Domini nostri pro se & successoribus suis canonicè intrantibus & pro sanctissima Romana Ecclesiâ suisque adherentibus confederatis, complicitibus & obligatis; etiam præfatus magnificus Dominus Orator nomine Serenissimi Domini Ducis, & Illustrissimi Domini Venetorum faciunt, firmant, ineunt, & contrahunt bonam meram, & veram invicem Considerationem, intelligentiam, & ligam duraturam usque ad annos XXV. & ultra ad illud totum tempus, quod ipsis partibus placitum fuerit, ad mutuam conservationem, & defensionem statuum, & contra omnes de cætero, non provocatos, ac læcessos offendere volentes sanctissimum Dominum nostrum, & Illustrissimum Dominium Venetorum, vel eorum alterum, seu eorum status: & hoc fieri intelligatur pro conservatione & tranquillitate Pacis Italiæ.

S. 2. Item conveniunt & concordant, quod ipse Sanctissimus Dominus noster tenere & habere debeat equites quatuor mille, & pedites tres mille paratos, & ipsum Illustrissimum Dominium similiter tenere & habere debet equites quatuor mille & pedites tres mille, ut supra prædictum est, propriis sumptibus uniuscujusque partis, declarando, quando dictas gentes illustre Dominium prædictum mittere debeat facta Sigillatione capitulorum in Romandiolam ad omnem requisitionem Sanctissimi Domini nostri, ireque debeant ad ea loca, ad quæ sua Sanctitas, & Illustrissimum Dominium prædictum judicaverint mittendas esse, habita omni consultatione, & deliberatione ad defensionem status & terrarum sanctissimi Domini nostri, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: quo casu sanctitas prædicta ipsi gentibus sic missis, vel eorum parti, providere facere debeat de allogiamentis, stationibus & victualibus, que vendi debeant gentibus prædictis eo pretio & advantage, quo venderentur gentibus sanctissimi Domini nostri.

S. 3. Item conveniunt, & concordant remanserunt dictæ partes, quod Illustrissimum Dominium prædictum, cum omni tempore super mare teneat potentem classem, obligatum sit, & se obtulit occurrente bello, quod Deus avertat, quocumque modo successerint negotia, quod maximas vires attinet, sufficienter, & tempestivè providere ad omnia commoda statuum, & rerum Sanctissimi Domini nostri prædicti, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ supra dictæ, absque aliqua impensa sanctitatis suæ.

S. 4. Item conveniunt & concordant partes prædictæ, quod occurrente casu, quo Illustrissimum Dominium prædictum ab aliquo Dominio vel potentatu non læcessito siue provocato offenderetur, sanctissimus Dominus noster prædictus obligetur prestare, & mittere in succursum præfati Illustrissimi Domini, equites duo mille, & pedites mille, illosque tenere propriis impensis toto tempore belli; quemadmodum præfatum Illustrissimum Dominium prestare, & mittere se obligat in Romandiolam, & aliud, ubi necessarium judicatum fuerit per communem consultationem ambarum partium, & tenere usque ad bellum finitum prædictos equites quatuor mille, & pedites tria millia suis propriis impensis. (Additæ sunt aliæ pactiones, ut fœdus cum nullo Principe, vel populo Italico inire posset, nisi pars altera pari conspiratione consentiret: Daretur autem singulis facultas ut huic fœderi accederent: Lapsa ab hujus promulgatione mense, socios pars quæque suos designaret: si bello pars altera implicaretur altera pacem conficere, altera dissentirent, nequeat.)

ANN O
1469.

ANN O
1472.SIXTUS QUARTUS,
PONTIFEX CCXVI.

ANNO DOMINI MCDLXXI.

Vide Compendium Vitæ in *Magn. Bullar. Roman. hujus Eait. Luxemb.* 1477. Tom. I. fol. 387.**I.**
Ex histor. univers. Parisienf. Bullar. Tom. 5. pag. 698.

Ad subvertendam Pragmaticam sanctionem hanc Bullam edit circa Beneficia in Galliarum Regno, Ordinariis sex menses concedens ad Beneficia conferenda, totidem sibi retinens: anno 1472.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD universalis Ecclesiæ Regimen disponente clementia, vocatis inter alia pro commissorum Populorum votiva dilectione nil occurrit præstantius, quam exorta inter Personas Ecclesiasticas Principis tenebrarum astutia, discordiarum fomenta per nostræ sollicitudinis occursum protinus extinguere, ut cujusvis alterationis salubriter evulsis seminibus pacis, & tranquillitatis dulcedinem inter creditos nobis populos, divina nobis assistente gratia, imponere, & conservare valeamus. Cupientes itaque, ut suscitata retroactis temporibus discordia, proh dolor! in Regno Franciæ Delphinatu aliis Terris, & Dominiis illustrissimi in Christo Filii nostri Ludovici Francorum Regis illustris, inter nonnullas ex eisdem personas occasione cujusdam constitutionis, quæ in eodem Regno diutius inolevit, quam Personæ prædictæ Pragmaticam sanctionem vocant, ne quod abist, majora fomenta sumeret, damna pariter, & graviora scandala subsequerentur, sine debito claudatur, & totaliter secludatur, auctoritate Apostolica ex certa scientia, de fratrum nostrorum consilio, omnibus, & singulis Prælati, & aliis personis Ecclesiasticis Regni, Delphinatus, Terrarum, & Dominorum eorundem collatio, proviſio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio pertinet de quibusvis dignitatibus, administrationibus, Officiis, Canonicatibus, & Præbendis, nec non aliis Beneficiis Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus ad eorum collationem, provisionem, præsentationem, electionem, seu quamvis aliam dispositionem pertinentibus, quæ deinceps in Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris mensibus futuris, perpetuis temporibus vacare contigerit, dummodo dispositioni Apostolicæ ex aliqua reservatione generali in corpore Juris clausa, aut per alteram ex constitutionibus felicium recordationum Benedicti XIII. quæ incipit

ad regimen: aut Joannis XXII. Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, quæ incipit: Execrabilis: per constitutiones, & regulam Cancellariæ Apostolicæ per nos super hoc editas reservata generaliter non existant, perinde ac si aliquæ à sede Apostolica, vel ejus Legatis expectativæ literæ non emanassent, liberè disponendi facultatem concedimus per præsentem. Et quia isti summi Pontifices Prædecessores nostri consueverunt se in concessionibus Gratiarum expectatarum personis bene meritis exhibere liberales, nostræ intentionis existit concedere in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis concessas, quibus in aliquo præjudicare non intendimus per præsentem, quasque in suo robore permanere volumus, sex personis idoneis Regnicolis, sex alias Gratiarum expectativas ad quamlibet collationem, provisionem, præsentationem, seu quamvis aliam dispositionem singulorum ex Prælati, & aliis personis prædictis. Ex quibus quidem sex gratis duæ gratiæ expectativæ concedantur duobus Clericis regnicolis idoneis, pro quibus Rex ipse Christianissimus, & charissima in Christo filia nostra Regina, ac dilectus Filius nobilis vir Delphinus Viennensis, nec non Magistri, & Præsidentes, ac alii Officarii in aliquo ex Parliamentis Regis ejusdem Regni nobis super hoc unanimiter supplicabunt, qui duo nominati per Regem, & Reginam, Delphinum, Magistros, Præsidentes, & Officiarios præfatos gaudeant prærogativis ad instar familiarium nostrorum continuorum commensalium. Ipsiſque sex gratis consumptis, alias sex gratias similes aliis sex gratis personis idoneis modo, & forma præmissis concedere intendimus. Volumus autem, ac eisdem auctoritate, & tenore præsentium discernimus, & declaramus Beneficia, quæ Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium familiares, continui commensales eorum familiaritate durante in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis obtinent, & in posterum obtinebunt, dispositioni Apostolicæ in posterum censi reservata, quandiu duntaxat Cardinales præfati vitam duxerint in humanis, ac post obitum eorundem Cardinalium per sex annos continuè sequentes. Quibus quidem sex annis elapsis, alii ad quos eorundem Beneficiorum collatio, proviſio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio aliàs pertinet de Beneficiis familiarium hujusmodi in Regno, Delphinatu, Terris, & Dominiis præfatis consistentibus in prædictis mensibus disponere valeant, hujusmodi reservatione non obstante. Concedimus etiam, quod Beneficiorum, quæ promovendi per nos ad dignitates, seu Beneficia consistorialia prædicta, ac munus consecrationis eisdem promovendis impendendum, seu lapsus temporis de consecrandis Episcopis à Sacris Canonibus definiti vacaturorum, si promotiones ipsæ in aliquo ex supra dictis mensibus fiant, nisi Beneficia ipsa essent aliis dispositioni Apostolicæ, ut præfertur, reservata ad Prælatos, & personas supra dictas. Si verò in aliis mensibus promotiones eisdem fieri contingat, ad nos & Romanos Pontifices Successores nostros, collatio, proviſio